

transfigurationis, quia tunc incipit mutari in virum alterum et indui vestibus virtutum et bonæ conversationis externæ: festum paschatis, id est, transitus, quia transit de peccato ad gratiam; item quia in eo spiritualiter resurgit ad vitam immortalem, cum firmo animi proposito, non peccandi amplius: festum ascensionis, quia ascendit de inferno quodammodo ad cæ-

lum: festum pentecostes, quia recipit Spiritum sanctum.

Ergo intueatur quisque conscientiam suam et videat, ovisne perdita sit, necne ut si perditum se agnoscit, curet ut redeat ad pastorem, quo festum angelis instituat: ne alioqui festum in gehenna debeat instituere, dæmonibus quidem acceptabile, sibi vero lamentabile.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUANTA BONA CONFERAT HOMINI POENITENTIA.

I. Vestit et ornat illum Dei gratia. — II. Restituit honorum operum merita. — III. Restituit jus hæreditatis cælestis. — IV. Parit et restituit tranquillitatem animi. — V. Restituit bonam famam.

THEMA.

Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis, Luc. XV.

Videntur Scribæ et Pharisei suam prodere inscitiam, velut parum versati in sacris Scripturis, dum iniquo animo ferunt et aspiciunt peccatores ad Christum accedentes, et cum eo manducantes. Si enim vel parum inspexissent librum primum Moysis illico reperissent præclarum quemdam typum hujus benevolentiae, quam Salvator noster exhibuit peccatoribus jam per poenitentiam sibi appropinquantibus: et quidem Pharaone et Josepho. Numquid enim Joseph in carcere detentus, et pro reo habitus (tametsi falso) evasit totus squalidus, impexus, lacerus et horridus? Et tamen a Pharaone e carcere in aulam evocatus, ibi detonsus et ablutus, mox veste byssina indutus, annulo regio et torque aurea exornatus, et currui regio impositus, et salvator mundi appellatus est, Gen. XLI. Cur igitur non liceat etiam Christo Domino eripere peccatores e compedibus Satanæ, et squalore peccatorum, et poenitentiam agentes exornare donis suis et gratis magnificis? Itane mortalem regem decet magis esse liberalem erga suos subditos, quam Dei Filium erga creaturas suas? Sed dicent Scribæ et Pharisei, Josephum explicasse somnium Pharaoni, et frumento implevisse, simulque ingenti gaudio aulam Pharaonis. At nihilominus præstant peccatores poenitentes: sua enim conversione famem et sitim Christi suavissime reficiunt, sanctos quoque angelos potant lacrymis suis, denique cælum gaudio replent. Jure igitur merito qualia bona Pharaon contulit in Josephum, talia et tanto majora, quanto regem superat

Deus, confert in poenitentes, uti nunc videbimus.

I. Joseph exutis et abjectis squalidis vestimentis suis, indutus est stola byssina. Poenitens fœdis peccatorum maculis deletis et extirpatis vestitur Dei gratia, veste plusquam byssina, aurea, gemmea, omnem creatam pulchritudinem etiam angelicæ naturæ, longe superantem; et quidem a Christo Domino, quem ad hoc in mundum esse venturum prædixit Isaia, cap. LXI. verbis illis: *Dominus ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, etc. ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu; pallium laudis pro spiritu mœroris*, hoc est, pallium festivum, decorum, pretiosum, quod aliud non est nisi Dei gratia. Mira est hæc metamorphosis, uti in Josepho, ita et in peccatore, e carcere servitutis diabolicæ extracto, pro sordibus et squalore vestimentum tam honorificum capessente. Quod etiam prævidit Zacharias, cap. XIV. cum ait: *Erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari: et erit omnis lebes in Jerusalem, et in Juda sanctificatus Domino*. Lebetes sunt ollæ nigre et cacabi, in quibus coquuntur carnes: phialæ aureæ sunt pocula, in quibus adolebatur thymiana ex odoriferis aromatibus confectum, libabatur et bibebatur vinum quasi libamen Deo. Quid aliud sunt peccatores nisi fœdi ac fœtidi, nigri et fuliginosi lebetes, in quibus aliud nil continetur, coquitur et cogitatur nisi caro et carnalia desideria? At vero si lebetes illi defri-centur per poenitentiam lixivium, calidamve lacrymarum aquam, tum induunt aliam speciem, et fiunt aureæ phialæ, plenæ boni odoris, ad Dei cultum peridoneæ. Ita explicat eum locum S. Hieronymus, ubi addit: «Istiusmodi lebetes cum versi fuerint in phias Domini, et dicere potuerint: Christi bonus odor sumus, et pro virulentia carniū varios ceperunt flores gestare virtutum, tunc erunt in Jerusalem et in Juda sanctificati Domino. Jerusalem enim visionem pacis, Judas exprimit contentem.» Habuit quidem Joseph antequam venderetur, et in car-

cerem truderetur, vestem polymitam, adeoque pulchriorem quam haberent ejus fratres. Verum ea nihil erat ad vestem illam byssinam, quam postea a Pharaone accepit. Ita sæpe contingit, ut peccator per poenitentiam ad majorem sanctitatem et gratiam assurgat, quam fuerit gratia prior, per lapsum deperdita. Exemplo est in nova lege Petrus, qui postquam lacrymis diluit peccatum suum, sanctior surrexit, et ad: *Soliditatem rediit petra*, inquit S. Leo, ser. IX. de passione, *tantam inde recipiens fortitudinem, ut quod passione Salvatoris expavit, in suo post supplicio non timeret*. In veteri lege David exemplo est, qui ante lapsum ambulabat quidem in mandatis Domini, non ita tamen velociter ac fortiter, uti postea, cum ex lapsu resurgens collegit vires suas. Qui enim prius interdum cespitabat, postea viam mandatorum concurrit, unde Ps. XVII. testatur Deus: *Qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam. Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, et super excelsa statuens me*. Pudor enim prioris lapsus, et timor divinæ justitiæ, quam senserat, frænum ei, ne peccaret, injiciebant, et calcar currenti in via mandatorum addebant, adeoque in solida petra super excelsa statuebant. His adde-re possumus Thomam apostolum, qui incredulitatem suam adeo correxerat ut postea majora terrarum spatia velut cervus aliquis percurreret, quam ullus apostolorum, adeo ut ad Indos usque penetravit: Magdalenam quoque quæ post lapsum longe plus Christum dilexit, quam dilexerat ante lapsum. Ex quo exemplo S. Ambrosius, in Ps. XXXVII. argumentum sumens ait: «Cui plus dimittitur, plus diligit. Unde sæpe videmus aliquos, qui ante negligentes fuerunt Christiani, peccato aliquo commisso fieri diligentiores, et ex illo per poenitentiam evadere solere perfectos.» Non est in hominum viribus similis potentia, quanta est in poenitentia: corpus deforme nemo efficere speciosum, ætate confectum nemo restituere juventuti potest: poenitentia hoc potest.

II. Josepho: *Dedit Pharaon annulum in manus ejus*, ad sancienda et firmanda regia decreta, adeoque inauranda quasi ut quidquid ille scripto mandaret, pro regio mandato haberetur. Poenitenti enim restituuntur honorum omnium merita, quæ sunt velut annuli manum adornantes, et quasi inaurantes. Annuli nobilitatis insignia erant apud Romanos, distinguentes equestrem ordinem a plebe, teste Dione, l. XLVIII. et colligitur ex epistola S. Jacobi, cap. II. proinde exauctorati ab eo ordine, jus annuli amittebant. Porro etiam: *Gravati somno*, inquit Plinius, lib. XXXIII. cap. 1. *aut morientibus religione quadam annuli detrahuntur*. Pari autem et diviniore reli-

gione, dormientibus seu morientibus per peccatum mortale detrahuntur omnia honorum merita, quæ prius velut annuli manum eorum ornabant, ut patet ex Ezech. cap. XVIII. *Si avertit se justus a justitia sua, etc. omnes justitias ejus quas fecerat, non recordabuntur*. Poenitentia has justitias e sepulcro resuscitat, adeoque velut aureis annulis manum poenitentis iterum exornat et locupletat. «Non enim sicut in sensibilibus rebus, inquit D. Chrysostomus, hom. VI. in Gen. ita et hic usu venit. Illic enim is, qui ex divitiis in extremam redactus fuerit inopiam, brevi eas recuperare nequit: hic autem per misericordiam Dei (si modo condemnare facta nostra et jam sistere ignaviam voluerimus) poterimus statim ad pristinam abundantiam redire. Talis est Dominus noster, tamque magnificus et liberalis. Unde et clamat per prophetam (Ezech. XVIII.) dicens: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.» Confregit Moyses tabulas legis, quando iratus scelerum Judæorum, vituli cultorum, projecit eas de manu, et allisit ad petram, Exod. XXXII. Sed en misericors Deus præcepit ei paulo post, ut præcideret sibi tabulas novas, in quibus iterato inscriberet Dominus eadem verba legis, Exod. XXXIV. Frangimus tabulas decalogi, quando frangimus vel unum ex præceptis ejus, quia: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*, ait S. Jacobus, cap. II. At vero Dei misericordia, quando respicimus per poenitentiam, adeoque novas tabulas efformamus, iterum in eas inscribit eadem prorsus verba legis tam secundæ quam primæ tabulæ, hoc est, easdem gratias, quas perdidimus, nobis restituit; adeoque non solum gratiam justificantem amissam, sed etiam quæ per illam paraveramus merita honorum operum. Solum hoc discriminis est, quod uti Deus primas tabulas ipse paraverat, et Moysi obtulerat, secundas vero ipse Moyses præcidere et dolare (ut habetur Deut. X.) debuit supplex quoque cum populo rogare, ut Deus iterum in eis exarare verba legis dignaretur: ita et primam gratiam donat nobis omnino gratis: at si culpa nostra eam perdidimus, requirit ut per poenitentiam, contritionem, orationem et alias piorum operum actiones disponamus nos ad recipendam gratiam alteram. Unde præcit. cap. XVIII. Ezech. additur: *Facite vobis cor novum et spiritum novum: et quare moriemini domus Israel?*

III. Josephi: *Collo torquem auream circumposuit Pharaon*. Torques, inquit Philo in eum locum, *symbolice datur regibus a populo, quasi ei dicat populus: Dono tibi torquem quasi vinculum et catenam, qua vincieris in improbitate et adversitate*. Regis igitur dignitatis insigne olim torques aurea fuit.

Hanc dignitatem Deus præter dictas gratias confert etiam pœnitenti, ita ut non modo condonet offensas omnes, offeratque benevolentiam et amicitiam suam, restituat bona perditâ, et quasi fisco adjudicata; sed præterea etiam jus hæreditarium regni sui cœlestis. Non solent tam profusa liberalitate occurrere homines iis, a quibus semel offensi fuerunt, satis esse reputant injurias ei remittere, pristinum favorem, familiaritatem et dignitatem, qua exautorati sunt, non facile restituunt. Humanissimus quidem erat David et filii Absalom amantissimus; eum tamen ob admissum parricidium relegatum, ad instantiam quidem Joabi revocavit in Jerusalem, non admisit tamen ad aulam et conspectum suum, nisi post biennium, II. Reg. IV. Salomon quoque maledico Semei injuriam patri suo illatam remisit, et in Jerusalem habitationis locum assignavit, ita tamen ut torrentem Cedron non transiret, ne scilicet ad civitatem suam Bahurim et fundos ac possessiones suas reverti posset, III. Reg. II. quod præscriptum ipsi durum valde et permolestum esse debuit, constringens eum in perpetua quasi custodia. Non tam parce Deus agit cum pœnitente, sed restituit eum ex integro pristinae libertati, gratiæ et juri ad cœlestem hæreditatem. Cujus rei typum exhibuit Davidi, quem ob lapsum afflixit quidem variis tribulationibus, et imprimis persecutione filii Absalom, a quo ejectus e solio suo, et Jerosolyma profugus habitavit ad tempus in desertis locis; quia tamen eam afflictionem in ultionem peccati sui patienter ac libenter a Deo excepit, et pœnitentiam egit, revocavit eum Deus, et restituit in regnum suum, filio in prælio cæso. Unde S. Ephrem, tract. de pœnit. ait: «Novit pœnitentia etiam apostolos constituere. Hæc Petrum propriæ dignitati restituit, sua negatione collapsum. Non solum autem apostolos facit, sed etiam reges constituit: David enim pœnitentiam agentem, ut penes eum regnum permaneret effecit, etc.» Cogitet ergo peccator, qui a regno cœlorum excedit, quid non molendum subeundumque sibi judicet, quo regnum id recuperare possit. Certe Eduinus rex Nordanhumborum in parte aquilonari Angliæ, cum ab Edelfrido pulsus esset e regno suo, exularetque apud Edualdum regem, viro cuidam gravi, licet incognito, sese offerentem ad restituendum ipsi regnum, nulla prorsus mora ei promisit se obsecundaturum ejus consiliis et doctrinæ christianæ aures et mentem præbiturum, si regno suo postliminio potiretur; quod etiam consecutus est, susceptoque baptismo satisfecit voto suo, ut est in vita S. Paulini episcopi Eboracensis, auct. Bedæ, lib. II. hist. Angl. apud Surium 10. octob. Quod si ob terrenum recuperandum, e tanto fastu

subjicere se Ecclesiæ, ejusque sacerdotibus statuit rex, quid non laborum et dolorum suscipiat in se pœnitens, ut cœlorum regnum dæmonis astu et odio sibi adeptum, recuperare queat?

IV. Josephum: *Fecit Pharao ascendere super currum suum secundum.* Quid hic in currum regium ascensus, nisi quietem et tranquillitatem animi significat? Quis enim nescit hominem, qui cursu vel ambulatione fatigatur, quiescere in curru, et absque omni molestia vel labore iter peragere? Ergo currus hic digito quasi notat animi serenitatem, quam acquirit pœnitens peracta pœnitentia, et recepta Dei gratia. Peccatores non in curru vehuntur, sed in terra ambulat; unde lamentantur Sapient. V. dicentes: *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles.* Vel ad summum, si in curru quasi suaviter degunt, non nisi in curru rusticano et operario vehuntur, qui frequenter eos concutit, pulsante et objurgante conscientia. Non sic Josephus, qui in currum regium adeoque pensilem evehctus fuit: non sic pœnitentes Deo reconciliati, qui jam pacem conscientiæ denuo adepti, in pace in idipsum dormiunt et requiescunt. Testem habemus Sophar, in lib. Job, cap. XI. ubi ait: *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuam, et eris stabilis, et non timebis,* quasi vera quies et stabilitas mentis ex pœnitentia oriatur; sicut nubibus sublatis redit aeris serenitas. Nec mirum; omnis enim inquietudo animi ex peccato oritur, juxta id Jeremiæ, Thren. I. *Peccatum peccavit Israel, propterea instabilis facta est.* V. *labili vertit: Propterea varie jactatus est.* Etenim: *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest,* Isa. LVII. Jactantur enim variis variarum concupiscentiarum æstibus, quasi calida quadam febris, quæ nullo frigore restingui potest, sed perpetuo siliens nunc vinum, nunc aquam, nunc cerevisiam desiderat, undeque semper magis sese accendit: præterea etiam stimulis conscientiæ perpetuo agitur. Quemadmodum ergo nauta, cum a mari recipit se ad portum, ibi invenit requiem: ita et peccator cum recurrit ad pœnitentiam, ibi reperit pacem. Unde subdit Jeremias: *Ipsa autem (Jerusalem) gemens conversa est retrorsum;* scilicet ad Deum per pœnitentiam. Typum hujus conversionis habemus, Exodi XV. in Hebræis, qui fugientes ex Ægypto, transitque mari rubro venerunt in Mara ad aquas amaras, inde digressi venerunt Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum quasi ex amarum pœnitentiæ aquis recta et immediate perveniatur ad dulces fontium, animas refrigerantium, aquas. Unde ibi Origenes, homil. VII. *Prime de-*

ductus est populus ad aquas amaras et salsas, postea venit ad fontes. Sequitur et septuaginta: *Palmæ; et castramentati sunt juxta aquas.* Ecce ad dulces fontes et palmarum trophæa conquiescunt Hebræi, postquam degustarunt aquas amaras. Præclarum hujus doctrinæ exemplum refertur in vita S. Bononii abbatis Locedensis, apud Lip. 30. augusti his verbis: «Quidam immani in fratrem suo odio incensus, tandem illi necem intulit, ferroque peremptum abscondit. Ingens et scelestum facinus æternis suppliciis expiandum. Verumtamen fratricida, paulo post incredibili animi dolore saucius, commissum scelus pura oris confessione, et vera pœnitentia dolores, modo ab assiduo conscientiæ angore, et admissi flagitii cruciati liberari posset. Itaque ex eo, quo fratrem peremerat mucrone, circulum brachio dextero circumdedit, totumque se lamentis, et variis corporis afflictionibus deditit. Sed cum domesticæ furæ, quæ eum die nocteque persequebantur, vix ullas ab æternæ damnationis metu inducias concederent, tandem ille sanctorum statuit implorare patrocinia; ut quod suis lacrymis meritisque non poterat, illorum aliquando precibus a Deo obtinere mereretur. Itaque post alia atque alia sanctorum limina pie obita, ipso natali S. Bononii ad ejus etiam sepulcrum venit supplex, Deumque flens atque ejulans precabatur, ut tanti sui famuli intercessione sibi propitius esse dignaretur. Dumque orationi ferventer insisit, et S. Bononium interventurum sollicitat, ecce in magna virorum atque mulierum circumstante turba, circulus, qui cute et carne jam pene contactus erat, per Christi elementiam dissiliit: omnesque illæ conscientiæ fusæ fugatæque furæ; summam conscientiæ tranquillitatem et incredibile animi gaudium reddiderunt. Tunc is in lætitia salutaris Christi mirabiliter exultans, ferrum illum nexum ad sancti altare suspendit, et voce maxima, quanto a S. Bononio affectus esset beneficio, contestatus est.»

V. Josepho: *Vertit nomen Pharaô, vocavit eum lingua Ægyptiaca salvatorem mundi.* Miræ et magna nominis commutatio! Prius a suis fratribus somniator appellabatur: *Ecce somniator venit,* Genes. XXXVII. postea, ab hera sua Ægyptiaca servus: *Ingressus est ad me servus Hebræus,* Gen. XXXIX. ænique, a rege salvator mundi vocatur. Similis catastrophe gloria et honore plena sequitur pœnitentem, ita ut recuperet bonam famam

et nominis æstimationem peccato prius perditam, adeoque non jam peccator et servus, sed Dei amator et amicus vocitari mereatur. Propterea baptizatis adultis abolito priore nomine datur novum et sanctum a sancto aliquo illustri desumptum. Qua de re S. Hieronymus in id Psalmi XV. *Nec memor ero nominum eorum. Multarum, inquit, in lavacro; et ex filiis hominum vocatur filii Dei. Vox Christi: Non memor ero istorum nominum, quæ prius ante fidem habuerunt: illa enim recordabor, quia crescentibus meritis nomina addita sunt nova. Jam non dicam vos servos, sed amicos,* Joan. XV. Idem contingit pœnitentibus, ut imprimis testatur S. Chrysostomus, homil. VI. in Marcum, loquens de lacrymis, quibus pedes Christi lavantur: «Vide, inquit, quanta sit misericordia Salvatoris. Peccata nostra mali odores sunt, putredo sunt; tamen si agamus pœnitentiam propter peccata, si ploremus peccata nostra putrida, unguentum efficiuntur.» Patet hoc in ipsa Magdalena, de qua ibi sermo. Ea enim prius peccatrix dicebatur, sed per pœnitentiam abolevit nomen istud, et amatrix Christi jam audit. Sic etiam David magis commendatur propter pœnitentiam, quam prius apud homines vituperaretur ob adulterium et homicidium, sic Matthæus, sic Paulus, sic Pelagia, sic Maria Ægyptiaca, sic Cyprianus magus et Aglae, Guilielmus Aquitanæ dux, alique plus laudis et existimationis acquisierunt per pœnitentiam, quam prius sorderent per iniquitatem. Nam (ut advertit B. Arnoldus Carnot. tract. de verb. Christi in cruce): *Nisi quis ad antiqua revertatur contagia, nulli prior præjudicat vita.* Videtur hoc initio creationis statim docere voluisse Deus, quando creato ex aquis firmamento mutavit nomen, et appellavit id nomine cœli, Gen. I. vers. VIII. *Vocavitque Deus firmamentum cœlum.* Postquam ergo cœlum ex aquis formatum et quasi natum est, non jam firmamentum, sed cœlum est vocatum; quo admoneremur, eos, qui ex aquis baptismi renascuntur, vel aquis lacrymarum abluuntur in pœnitentia, et in puriorem ac meliorem assurgunt vitam, adeoque ex aquis cœlum quodammodo fiunt, nomen aliud deleto priore et quidem cœli dignum acquirere. Idem si non intellexere, saltem et pressere vel morantes Philisthæi illi, qui cum ab area fœdatis a se capta dire et fœde affligerentur, pariter ulceribus natum, partim murium ingenti multitudine, ut mala hæc amolirentur, fecere ex consilio sacerdotum et ariolorum suorum anos et mures aureos, miseruntque Deo Israel una cum area pro munere, quo sibi placaretur, et cladem ab eis tollerent; quosque prius cum efformandos suaderent, anos appellarunt et mures; postea eum Deo mittendos dicerent, vasa aurea hono-

rifico nomine indignant, 1. Reg. VI. Quo loco observat imprimis S. Gregorius ipsa peccata, cum delentur per penitentiam, fieri quasi aurea, et non modum labem nullam aspergere penitenti, sed honorem potius: *Dum commissa, inquit, attentius lugemus, in justitiæ splendore membræ aurantur.* Deinde, aboleri per penitentiam infame peccatoris nomen, et mutari in nomen justii honorificum. « Quid est, ait, quod res istæ (ani et mures) eodem honestiori nomine exprimentur, nisi quia peccata, quæ penitentiae fletibus tersa non sunt, in deformitate sua attentius videnda atque lugenda sunt: ea vero quæ jam sunt diluta magnis fletibus, non attentius neque in deformitate sua respicienda, sed æstimatione humilitatis aliquando cogitanda: » et paulo post: « Quasi aurea jam vasa conficit (penitentes) quia peccata videt, non quibus se obligatum videat, sed quæ omnipotentis Dei laudibus impendat. » Exemplo est Magdalena, de qua canit Ecclesia: « Fit ex lebetæ phiala, in vas translata gloriæ, ex vase contumeliæ. » De eadem scribit S. Chrysostomus, hom. VI. in Matth. « Illa in evangelio meretrix virgines quoque ipsas honestate superavit. » Quod etiam de aliis penitentibus confirmans B. Petrus Damiani, in epist. IV. de Dei omnipotent. cap. III. « Novimus, inquit, utriusque sexus homines, post abominabiles voluptatis illecebras ad tantam religiosæ vitæ pervenisse munditiam, ut non modo castos atque pudicos quoslibet in sanctitate præcederent, sed et non contemnenda multarum virginum merita superarent. »

Mira igitur et magna nimis est vis penitentiae. Quare, o peccatores, quicumque et quotcumque estis, nolite ad Phariseorum murmura attendere, quinimo spretis illis: *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis: accedite ad Christum, et illuminamini, et reformamini et in vasa aurea commutamini.*

CONCIO II.

DAMNA PECCATORUM VENIALIUM.

I. Multa bona auferunt. — II. Multa mala inferunt. — III. Ad majora mala disponunt.

THEMA.

Si perdidit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter? Luc. XV.

Posset forsitan aliquis vitio vertere huic mulieri nimis curiosam ac pene sordidam industriam, qua vilem unam drachmam tanto requisivit studio, accendit lucernam, et everrit totam domum. Quod enim, pastor abiit prolixo satis

itinere ad requirendam ovem, id quidem jure fecisse videtur; est enim ovis alicujus non spernendi pretii et utile valde animal; at requirere drachmam unam, seu denarium tanto labore et studio non videtur operæ pretium. Cogitare, inquam, hoc aliquis posset: et vero ita sentiunt homines quam plurimi, qui peccata quidem gravia, quibus Dei gratia perditur (ejus amissio dipingitur in amissione unius ovis) magni faciendam et deplorandam existimant: at vero jacturam illius lucri, quod amittitur admissio peccato veniali, (quæ per amissionem drachmæ significatur) parvi aut nihili æstimant, quasi dicant: *Etsi monetam unam perdidit, adhuc in Dei gratia, adhuc ovis Christi sum: jacturam unius drachmæ, quam perdidit admittendo peccata levia, non magnopere sentio.* His tamen ita sentientibus occurrit et contradixit hodiernum evangelium, quod quidem primo loco et præ omnibus requirendam monet ovem, hoc est, animam culpa lethali per injuriam nostram perditam: post hoc tamen addit non negligendam drachmam, hoc est, animam lapsam culpa veniali, sed ipsam quoque perditam, studiose requirendam. Quod ut majori cura et sollicitudine fiat, videbimus in præsentis jacturæ hujus damna.

I. Bona multa auferunt. Quænam vero illa? Primo, conscientiæ tranquillitas et quies mentis, quæ in munditie consistit: et hoc si quis sciens et prudens venialia admittat: Talia enim relinquunt post se remorsum in animo, cum accusantes de voluntaria et studiosa malitia: non ita quæ ex debilitate et inconsideratione quasi incauto obrepunt; quia hæc habent patrocinium aliquod, quo admissa non nihil elevantur. Comparat Deus fideles suos oculo, imo pupillæ oculi, Deut. XXIII. *Custodivit eos ut pupillam oculi sui: et Zach. II. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quis autem nescit oculum turbari et vexari usque ad lacrymas vel minimo incidente pulvisculo? Unde Salvianus Massiliensis, lib. 1. de provid. et guber. Dei ait: « Perfectæ et sincerissimæ sanctitatis volens cultores suos facere Salvator, jussit ab iis cautissime etiam minima vitari, scilicet ut quam pura est pupilla oculi, tam pura esset christianis hominis vita: et sicut salva intuitus incolumitate pulveris labem in se oculus non reciperet, sic vita nostra labem in se penitus impudicitiae non haberet. » Proverbio dicimus: *Habet et pilus umbram saram:* sic omnino peccatum etiam leve obscurat non nihil et turbat mentis serenitatem, et tam claro et libero oculo aspicere possit Deum ac seipsam. Quo sensu possumus intelligere, quod sponsus, Cant. IV. ad sponsam dixit: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in uno crine colli tui.* Neque so-

lum sponsum, sed et sponsam ac multo gravius, vulnerat crinis peccati levis, quia menti ejus radium aliquem cœlestis luminis subtrahit, tenebras aliquas inducit.

Secundo, favor Dei peculiaris, quem ex parte imminuunt, ita ut Deus non eodem benevolentiae aspiciat oculo sponsam suam, sicut prius aspexerat: quod experta est S. Catharina Senensis; quæ ob unicam oculi deflexionem, et animi orando distractionem, a Christo reprehensa ita erubuit, ut potius coram toto mundo confundi præoptaret, quam similem reprehensionem iterum sustinere, ut in ejus vita. Nec mirum; si enim sponso vehementer displicet, si ejus sponsa in alium juvenem vel oculos conjiciat cum aliqua blanditie: quanto magis displicebit Christo, si ejus sponsa, quam sanguine suo emit, in creaturam aliquam oculos convertat, et ab ipso deflectat? Hinc Isaias, cap. LIX. ait: « Peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate. » In quem locum Oleaster explicans ait: « Opera vestra tam majora quæ per manus intelliguntur, quam minora, quæ per digitos, immunda sunt. » Itaque et levia peccata Dei avertunt oculos a nobis.

Tertio, actiones bonæ et studiosæ, quæ peccato veniali vitiantur, adeoque Deo ingrata atque insipidæ, homini vero inutiles fiunt et meritum suum perdunt: quo modo Ecclesiastes, cap. X. ait: *Musca morientes perdunt suavitatem unguenti.* Musca vero illas, levias esset peccata, uti otiosum verbum et similia, discimus a S. Bernardo, in serm. de triplici custodia: « Vilis res musca moriens, inquit, sed exterminat oleum suavitatis. Levis res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat, etc. » Ut ergo musca in cibum aut poculum incidens nauseam gignit homini: ita peccatum veniale ex se aliquin bonum vitiat, et molestum Deo efficit, adeoque privat merito, ut testatur S. Gregorius, XXI. moral. cap. IV. « Incrementum meritorum, inquit, quod bonæ vitæ studiis augetur, plerumque mali admixtione retrahitur: et bonum, quod animus operando construit, hoc alia penetrando pervertit. » Muscæ omnia, quibus insident, maculant: ita et veniales lapsus; et quemadmodum scriba, si pilus ejus calamo quantumvis tenuis adhærent, nihil culte exarare potest, sed totum quod scribit, aut deletur, aut inculte scribit: ita et si operi nostro venialis culpa misceatur, maculam ei aspergit, ut parum aut nihil prorsus coram Deo valeat.

Quarto, Dei dona et gratiæ speciales, quas ob tales lapsus subtrahit Deus suis, aliquin concedendas. Colligimus id ex verbo Domini

ad Petrum recusantem lotionem pedum sibi a Domino suo exhibendam. Cum enim Petrus dixisset: *Non lavabis mihi pedes in æternum,* Dominus respondit ei: *Si non laveris te, non habebis partem mecum,* Joan. XIII. Quare negat ei partem? Beatitudinemne cœlestem? At vero quod Petrus fecit, ex reverentia aliqua, et ad summum ex impudentia quadam veniali fecit. Itane ergo propterea a cœlo excludatur? Quare non improbabilius Toletus et Palatius existimant, Christum esse locutum de participatione corporis sui, quam negaturus ei erat in sacra cœna, si lotionem non admisisset. Uude habemus Deum merito negare suis gratias sæpe speciales et paterna subsidia, quando ab eis offenditur, licet solum venialiter. Nec mirum; solemus enim et nos, uti patres filiis, domini servis subtrahere aliquas gratias minime eis debitas, si officium suum negligenter obeant, vel in re levi offendant. Hinc ergo ariditates in oratione, desolationes in tribulatione, duritia ad compunctionem, indevotio in sacra communione, in rebus divinis cæcitas, etc. Quia tales elemosynas apud Deum demerimus peccatis venialibus.

Quinto, progressus in virtutibus et vitæ perfectione quem non leviter impediunt, aut saltem retardant. Quemadmodum enim echeneis, exiguus piscis, magnam navim etiam velis incitatam a cursu remoratur, ideo remora dicta, teste Plinio, l. IX. et aliis; ita peccata levia progressum in virtute cohibent; cum enim ipsa sint imperfectiones, utique a perfectione hominem retrahunt. Eo facit quod Ecclesiastici XIX. dicitur: *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Tametsi enim operarius una portione non omnia sua dilapidet, sensim tamen dum hodie bibit, et cras, et perendie parum aliquid potando assumit, nunquam ditescit. Vidit hoc et Plutarchus, in libro cui titulus: *Quemadmodum sentias te in virtute crescere, ubi inter alia:* « Sicut qui divites se fore desperant, parvos sumptus facere pro nihilo habent, quod nihil magni futurum putant, si parvum parvo adjiciatur: spes autem ad finem proprius accedens simul cum divitiis auget divitiarum amorem; ita et in rebus ad virtutem pertinentibus, qui non multa concedit, neque dicit: Quid tum postea, modo sic, alias melius: sed singulis intentus, ubi vel minimo peccato vitium se insinuans veniæ locum dare videtur, ægre fert et indignatur: manifestum facit se purum aliquid sibi jam comparasse, quod inquinari nullo modo velit: faciles enim et negligentes facit, ut Æschylus ait, opinio concepta nihil eorum, quæ habemus, magnum esse. Maceriam aliquam aut sepe conficientibus nihil refert obvium quodque lignum aut apidem humi jacentem adhiberi; aut colum-